Diözese Passau / Salzburg,

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ccxlvij 254

simones eius. Adtende dñe adime: et audi voces adversariorum meorum. Numquid reddetur pro bono malum quia fodiunt foveam anime mee? Recordare quod steterim in conspectu tuo ut loquerer pro eis bonum et auferem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in fame et deduc eos in manus gladii. Fiant uxores eorum absque liberis et vidue: et viri eorum mortem incurrant morte. Juvenes eorum confodiantur in prelio gladio audiatur clamor de domibus eorum. Adducas eis superveniente repente quam nesciunt foveam ut capiant me et laqueos abscondenerunt pedibus meis. Tu autem dñe scis omne consilium eorum adversum me in mortem. Ne propicies iniquitati eorum et peccatum eorum a facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo in tempore furoris tui dñe deus noster. Sedm Johannem.

Dixit dominus. Amen amen dico vobis nisi manducaveritis carnem filii hominis et bibitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam eternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus. Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet et ego in eo. Sicut misit me vivens pater et ego propter patrem: et qui manducat me et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de celo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna in deserto et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in eternum. Hec dixit in synagoga docens in capharnaum. Multi ergo audientes